

10. — 3



33599



Mag. St. Dr.

P

ms. aw.

1848. XII. 99.

2H

Featr. 1829. br.

of bell



Part of a visible page edge with handwritten text.

(2xvii 3/89)

~~2xvii 3/89~~

SALTVS

HEROIS SOLEATI

Per calcata Hostium Capita

Ad Solium

EVADENTIS,

Olim ab ARGISSO THESSALLIÆ PRINCIPE.

In Circo Fortunæ

PRODVCTVS;

Nunc verò Fortunatissimis Auspicijs

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. JOANNIS

ŁUZECKI,

PALATINIDÆ PODOLIÆ,

Gniewczycensis, Konkolownicensis &c. &c. Capitanei, Legionum S. R. M. Colonelli,

In orbita Avitæ ŁUZECCIORUM Soleæ

Ludis Anteceneralibus

REPRODVCTVS,

AB ILLUSTRISTUDIOSA JUVENTUTE

Collegij *Varsaviensis* SOCIETATIS JESU.

ANNO. Dñi 1704. 2. Februarij.



VARSAVIÆ

Typis Collegij Scholarum Piarum.

Q. Stanisłai Bydowski C. E. M. E. n. t. i. P. r. o. f. e. s. s. o. r. C. o. l. l. e. g. i. j. i. V. a. r. s. a. v. i. e.

IN AVITA ARMA
Illustrissimæ Domûs
LUZECCIANÆ.



BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVENSIS

33.599.III.

Pro Patrijs SOLEAM Ceris in Stemmate præfers,
Et quæ, non possunt mollia ferre, CRUCES.
Quis neget, ad Martem, nec non ad fortia Natum
TE, Ceras molles qui tolerare nequis.



DEDICATIO.

Herodem soleatum infesto hostibus suis insultantem saltu, inter festiva Bacchi Hilaria, Tuo damus conspectui, **ILLUSTRIS-SIME DOMINE.** Magnus hic saltusest, quia per strata calcataq; Soleâ Æmulum capitæ ad solium evadentis; parvus nihilominus erit, si soleatis Illustrissimæ Domûs Tuae Heroibus, magnisq; Eorum Martis in Area saltibus conferatur. Dederunt maximi Maiores Tui ad Orbis Sarmatici hilaritatē magnū Gloria saltū, dum per stratos cadaveribus cāpos, per congestos hostiū tumulos ad victorias prosilirent, non aliā præcinente Musica, quàm hinc reboantiū tormentorū mugitu, inde collisorum ensiū fragore & semine cadentium ejulatu. Transilierunt prætonante classico Tyram & Borysthenem, Tanaim & Danubium, ubiq; ad singula eorū vestigia Laureis palmisq; verius, quàm olim ad Cæsaris calcaneū erūpentibus. Tremuit ad Eorū Martis in circo saltū Hamus & Rhodope, pulsataq; Heroo pede tellus non jã prosilientes (quod sibi promiserat Pōpeius) sed cadentes exhorruit Thracū Legiones. Ita Saltus non Regū modo sed & magnorū Illustrissimæ Domûs Tuae Heroū, mors hostium semper fuit. Non hic appello Magnos Prædecessores Tuos in æternitatis jã gremio quiescentes, quorū per Orientē & Meridiē, Occasū & Septentrionē, Martiales choreas, fatales illas Moschis, Scythis, Cosacis Valachisq; periodos, brevibus conclusisse periodis, nimis quàm foret operosū. **ILLUSTRIS-SIMUM STANISLAUM CAROLUM** Terrarū Podolie Palatinū, Progenitorē Tuū, per Ukrainenses, Budziacenses, Tauricanos, Valachicos exultantem intueri cāpos, ubiq; Virtute Duce, Comite Victoria, tot triumphales edentē saltus, quot assultus in hostium castra & mœnia promoveret. Plausit Austria, & turritum, per depressas Othomanidū salienti

cervices in venerationē Vienna submitit caput, postquā ad Ludum Martium SERENISSIMO IOANNI III. feliciorē quā Romanis Salij praelusit choragio. Dedit novū Sarmatiæ Philippū, quoties ad Camenecū, novā Masurmānorū Cheroneā, per fracta colla, per elisos arcus & sarissas, inter cadavera victor exultavit. Fuerit solēne Indis, quotidiano solē venerari saltu: Illustrissimi Progenitoris Tui quotidiana planē fuit grandis occupatio, ad Solis Podoliae venerationem, Martio in saltu Barbarorū deicere Capita; & ne Eclipsim ab opposita pateretur Luna Soleam opponere; in quā vix impingere potuit Othomanica Phoebe, quin ipsa deliquium pateretur. Cecidit inter fatales Bellonæ saltus, ne Lechia caderet; & propinato in salutē Patriæ hostili sanguine, suum etiā hostibus propinavit, quo malē crapulati, in Ditis tandē salirent orbem. Continuas Tu istam, quē Maiores Tui inchoarunt saltum; & iam Illustrissimo Adamo Sieniawski Palatino Belzensi, Regni Exercituum Cāpitudine, Ductore, Legionum S. R. M. Colonellus in Martis profilis arenā, Maiorum & Paterna ad gloriā observaturus vestigia. Assistunt fœderati non minū gloriæ quā sanguinis nexu Herodēs, Lubomirscij, Sapiehæ, Sieniawscij, Radivilij, Potoccej, Chodkieviccij. Iunguntur eodem nexu Czartorysciorum, Sanguszkorum, Oginsciorum, Zawiszarum, Olęcciorū Magna Nomina. Comitantur votis & affectibus Poloni Lithuanicū, Martis in Tuā gloriā coniurata agmina; ut jā prævideat orbis, quantū Gloriam Polonæ daturus es Saltum, qui in orbitā Martiale tot Heroū ducis tecum Choreā, aut verius Orbē Polonum Lituanicū, in choreā triūphalē. Procede fortunato passu, per calcata hostium Patriæ Capita ad Glorie Capitoliū, ad Honorū sublimia, ad suprema Dignitatum Culmina; ubi postquam constiteris, novum in Circulo eternaturæ glorie, ad immortalis Famae Classicum, saltum auspiciare.


Jta precatur

ILLUSRISSIMO NOMINI & HONORI TUO

Devotissimum

Collegium Varfaviense Societatis J E S V.

ARGUMENTVM Actûs.



Argissus vetustissimus, & ante Grecum, à quo Grecia dicta, Thessaliæ Princeps, ex Macedonia redux, de Meragno Boeotio, Thessalis & sibi infesto in Tempe locis amœnissimis Thessaliæ, sed undiq; præruptis, cum suis convivante, ope cujusdam Thessali Solearum Inventoris, illuc evadens triumphavit. Minutius in supplementis ad monumenta magne Græciæ.

ANTIPROLOGUS.

Fama Aquilæ infidens, IASTRZEBECCIVM Herodém Polonum in Carpatho quiescentem, primum, ope SOLARVM in Polonia, hostium in Monte Calvo Victorem, è mortuali excitat somno: qui ILLVSTRISSIMI PALATINIDÆ Genium, Martis aream dimetientem, ad saltum gloriæ invitât, ostensis Illi Majorum Illustrissimæ Domûs vestigijs, illo Daretis: *Sic ire decorum.*

Sub Boleslao Chrabri Anno Domini 999. Okolscius tom. 1 fol. 316. Ab hoc omnes Familiz in Polonia, quæ Soleis pro stemmate utuntur, suum derivant insignæ: ut habet Okolscius tom. 2. pag. 423.

PROLOGUS.

Dolus in area Tempe, ferreos abscondit uncas: Providentiâ Marti Thessalico, soleatas aptante ocreas: dumq; Mars Boeoticus hederâ coronatus, Invidiâ & Dolo stipatus, fatalem Thessalis choream ducit, ipsdem deprehensus uncis, in saltu labitur, atq; à Marte Thessalico, Prudentiâ ac Fortitudine stipato, conculcatur.

ACTUS Primus.

Scena 1. Meragnus anniversarium Fortunæ suæ, convivio & ludis in Tempe celebraturus diem, vertente tergum Fortunâ, & in Olea literis A. S. C. visis, easdem varijs variè interpretantibus, Argissum militem, ad vincula trahi, Tempenum Magum advocari jubet.

Scena 2. Argissus Princeps, jampridem sub nomine Teleni in aula latens, in solea, quam casu in terram lapsus reperit, legit: *Viam superas molitur ad auras:* dumq; hinc sibi bene ominatur, à Dryopo, publicum esse rumorem; Argissum in Thessaliam venisse, referente, turbatur; secedit, relicto Dryopo auscultaturo, quid de Argisso in aula diceretur.

Scena 3. Charillus adoptivus Meragni Filius, reverà Argissi ex Fratrem Togano Nepos, videt per somnium Geniû cum libro hisce inscripto: *Argissus hodie purpuram cedit tibi.* Sibiq; purpuram, offerentem: hinc in Argissum, quisquis ille sit, odio & ira exardescit.

Scena 4. Meragnus præfatas literas, ita sibi explicans: à saltu cave, nemoraq; & saltus Tempe timens, audit à Mirmillo Tempeni Magi filio, malum se genium spe lucri simulante: *Tempene crede Thessalis Regem locis*: sed Mirmillus à genio verè malo, in pœnâ avaritiæ strangulatus, & à Tempeno agnitus, Regem & Patrem luctu complet, malo interim genio, dicta Mirmilli confirmante, lætior Meragnus, convivium in Tempe apparari jubet.

CHORVS.

Ex occasione Soleæ inscriptæ: *viam superas molitur ad auras* Genius Illustrissimæ LVZECCIANÆ Domûs, videns in statera Themidis Polonæ, ferrum auro præponderare: monstratum ab Ambitione, per aureos montes ad gloriam iter, spernit: ferream porro Martis viam, præcunte Domestica Fortitudine, comitantibus Regum Polonorum Gratijs auspicatur.

INTERLVDIVM. *Magus Lupercalis.*

ACTUS Secundus.

Scena 1. Telenus inquit ex Timone, quinam hic (cùm ipse sit) Argissus? unde de ejus adventu rumor? tandem ab eodem, amicitiam suam captante, accipit dono horologium, quo præmaturè secundam sonante horam, uterq; sibi omnia secunda pollicetur.

Scena 2. Argissus ex horologio discit, Charillum, suum esse Nepotem, cui cùm colloqui gestit, edocetur à Dryopo, de ejus in Argissum odio, etiam, postquam à quodam moneretur, hunc debere illi esse cordi, tanquam patruum.

Scena 3. Argissus miles à Parmena, trahitur in vincula, ægrè ferente, & vix se esse Argissum non prodente Teleno. Interim dum Argissi nomen toti Thessaliæ infestum à præcone proclamatur, & è cæforum militum Capitibus Echo respondet: *festum &c.* continet se Telenus.

Scena 4. Achæus occasione Argissi militis fratris sui in vincula tracti, Meragno offensus, in ejusdem necem conspirat, incitante, & in speciem facinoris, fratrem suum adjungente Timone, reverrà autem ut eos proderet.

CHORVS.

Ex occasione horologij horam secundam sonantis: Polonia in orbita LVZECCIANÆ SOLEÆ, Soli Podoliæ objecta, solare delineat horologium; in quo Avita C R V X, locum indicis occupans, semper secundas Lechiæ horas designat. Illustrissimo verò LVZECCIANÆ Domûs Genio, pro secundis Patriæ horis sollicito, Æternitas, Tempus rerum omnium Tyrannum, Soleâ calcandum subjicit.

INTERLVDIVM. *Horologium verticale Bacchi.*

Actus

ACTUS Tertius.

- Scena 1.* Timon suis privatis intentus, Meragno & Parmenæ clam infensus, dolosus antecederet, Parmenæ impulsor, Argissum revocandi, narrat Teleno, ignarus eum esse Argissum, scripsisse Parmenam Argissi revocatorias; cum tamen, sibi consulendo, loco illius literarum supposuerit proprias; eundem astute instruit, ut neutri parti adhaerens, suam fortunam stabiliat: contra Parmenam & Charillum concitat, dissimulante omnia Teleno.
- Scena 2.* Thessalus Solearum inventor, Soleæ inscriptionem Teleno explicat: moliendum nimirum esse iter *superas ad auras* per prærupta montium, ad Meragnum ibi convivaturum opprimendum: & hoc portendisse literas, supra oleam visas: A. significare Argissum, S & olea Soleam, C. calcandum notare Meragnum.
- Scena 3.* Meragnus sententiam in Argissum militem laturus, omnibus sub pœna capitis, abscedere iussis, dum solitarius in saltu Tempe proximo moratur, ab Achæo invaditur, sed à superveniente Teleno servatur, occiso Timonis fratre, reliquis fugatis.
- Scena 4.* Telenus nolens Argissum militem sui causâ perire, sciens præterea à Timone Parmenam sibi, nec minus Meragnum, postquam eum à cæde liberavit, faventem, decernit palam profiteri se esse Argissum, nihil proficiente in contra Dryopo.

CHORVS.

Ex occasione Argissi Meragnum servantis, & Argissum militem proprio periculo tuentis: Podolia dejectâ Martis Soleâ, cui ejusdem contra Gigantes gesta Minerva inciderat: LVZECCIANAM Soltam in arcum triumphalem erigit. Minerva Martis LVZECCIANI, contra hostes Patriæ gesta, trophæis super arcum Soleæ locatis, designat. Podolia Illustrissimi STANISLAI CAROLI LVZECKI, Palatini sui heroica contra Turcas, Tartaros, Valachos, Kozakos facinora, fidem erga Majestatem, Amorem in Patriam, proprio sanguine consignantis, prædicat.

INTERLVDIVM. *Canities mortis Candidata.*

ACTUS Quartus.

- Scena 1.* Timon tum fratris sui cæde, tum invidiâ novi favoris Regij, in Telenum commotus, structas ab Achæo, Meragno infidias, in Telenum revolvit, præsertim quòd sub pœna capitis prohibitus in saltum venerit: Ipse interim Juvenes ad saltum paraturus abit.
- Scena 2.* Telenus profiteretur se esse Argissum; agnitus pro tali, ob violatum Principis mandatum, Parmenæ incarcerandus committitur: dissimulante se nôsse eum Parmena.

Scena 3. Argissus Princeps à Parmena & Militibus tunc primum agnitus, dolos Timonis Parmenæ militibusq; aperit: militē Argissum retrogradis passibus, ad eludendum Timonem, è carcere dimitti jubet: relicto horologio, quod à Timone habuit, eidem offerendo, ut intelligat, cuinam illud secundam horam sonuerit.

Scena 4. Timon certus jam verum comparuisse Argissum, cumq; Parmenæ ut incarceraretur commissum, literas Parmenæ ad Argissum olim datas, Meragno exhibet, accipitq; mandatū, Argissum in carcere occidendi, instigante etiā Charillo, Parmenam verò captivandi.

CHORVS.

Ex occasione Argissi à Timone ex invidia, cædis Meragno intentatæ insimulati: Livor durabilitatē ferro invidens, inducit struthionē, ferreis obsonijs se se pascentem: cui dum Fortitudo LVZECCIANA Soleam cum lemmate: *non comminues*, obijcit, Livor cor proprium lacerans, vel invitus Fortitudinem LVZECCIANAM prædicat.

INTERLVDIVM. *Februarius in piscibus.*

ACTVS Quintus.

Scena 1. Equitatus Thessalicus à Parmena, pro Argisso collectus, Peneum amnem superat, Nymphis ominosè accinentibus. Argissus cum perditatu, prærupta montium juga occupat.

Scena 2. Timon retrogradis à carcere, elusus passibus, dum occisurus Argissum, carcerem ingreditur, eo non invento, ipse à militibus antè instructis incarceratur, atq; ex horologio Telenium discit esse Argissum.

Scena 3. Meragnus ad mensam inter saltus Juvenum, ad Oleam literā S. signatam tela vibrantium, sed quòd, ejusdem jussu ab uno Juvene, ad omen captandum, scuto protegeretur, non tangentium; tum vocibus Satyrorum: *Argissi Saltum Cave: Argissi Solea Calcaberis:* consternatur.

Scena 4. Argissus Meragnum mero gravem captivat: Charillum servari jubet, qui latere volens, Militis Argissi, rubeum rapit sagum: impletur somnium: *Argissus hodie Purpuram cedit tibi.* Tempenus Magnus à Mirmilli filij umbra, malisq; genijs, ad Inferos raptatur, explicato illo oraculo: *Tempene crede &c. sic: Tempe ne crede Thessalia Regem loci.*

Scena 5. Argissus Charillum, oblata sibi ejusdem lacera veste, occisum putat, gemitque, illo ad Patruī nomen se se manifestante, Patruumq; agnitum deprecante: Parmena interim Meragni & Timonis capta, Argissi pedibus calcanda subijcit.

EPILOGVS.

Jaszebeccius Heros Polonus, Genio Illustrissimi PALATINIDÆ, in Carpathum deducto, superq; Avita Solea consistenti, rotam Fortunæ subijcit, nec non eidem Saltum Gloriæ, per depressa hostium Patriæ capita, toto producendum orbe, auguratur, Regni Provincijs & Podolia plaudentibus.

Ad M. D. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem,
SS. OO. Venerationem.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0026212

